



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCCIII. Ioannis Papae VIII. Ad Ioannem Dvcem. Vt Maimbertum captum ad se ducat, & mulieres, quae apud ipsum sunt, detineat, & Romano archiepiscopo epistolam deferendam curet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

omni occasione postposita , & dilatione remota , prædictum Maimbertum comprehendatis , & vi coactum ab archiepiscopo separatis , & huic nostro missio simul & Ioanni duci ad exigendum secundum nostram apostolicam auctoritatem validissime contradatis . Quod si in hoc negligentes vos , quorum nomina supra scripta sunt , fueritis , & ipse quoquomodo effugerit a vobis ; scitote , per vnum quemque vestrum centum aureos dabitis nostræ parti . Insuper ex Dei omnipotentis sanctorumque apostolorum Petri & Pauli , & nostra apostolica auctoritate a vino & cocto suspensi manete usque ad nostram præsentiam : ceteri vero , si hoc , quod iubemus , assenti noluerint , aut subtrahendo quoquomodo se huc illuc diuerterint , & usque ad effectum rei non perseuerauerint , superiori ex communicationi subiaceant . Data v. Kalendas Septembris , indictione xv .

## EPISTOLA CCCIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD IOANNEM DVCEM.

Vt Maimbertum captum ad se ducat , & mulieres , quæ apud ipsum sunt , detineat , & Romano archiepiscopo epistolam deferendam curet .

*Ioanni duci deliciose fideli seu & missio nostro.*

**G**RATVLA TOS nos non modice credas , eo quod fidelitas tua erga sanctam Romanam ecclesiam nostrumque apostolatum constanter reperimus vigilare : & ideo per hos nostros apostolicos apices tuæ fidelitati iubemus , vt de Maimberto modis omnibus sicut misisti , pariter cum isto missio nostro explere decertes , vt nullo modo effugere possit , sed separatum ab archiepiscopo vi coactum , postquam ab eo omnia sua constanter exegeritis , ad nostram præsentiam districtum deducere stude tote : etiam & illas mulieres , quas nunc in sua mansione collectas detinet , in nostro rectorio retinere iubemus usque ad nostram notitiam . Epistolam vero , quam Romano archiepiscopo mittimus , vt res , aut monasteria , quæ ab isto Ioanne diacono fidele commendato nostro quoquomodo occupauit , restituere & inuestire eum in omnibus studeat , & quæ

de rebus eius sui famuli abstulerunt, reddere huic per omnia faciat, ipsi archiepiscopo deportate, & coram sacerdotibus, & iudicibus ipsam legere facite; similiter autem & monasterium sancti Martini secundum nostram iussionem, Ioanni diacono, & chartulario pro nostro reddat amore. Nam & mansionem, quam Maimbertus ab ipso diacono suam per fraudulentiam abstulit, simili modo eum cum Petro nepote suo inuestire studete. Data ut supra, in dictione xv.

## EPISTOLA CCCIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD RAVENNATES.

Dolet eorum antistitis morte. monet, vt electum ab eis archiepiscopum congruo prosequantur honore: ecclesiam Rauennatem, & Deusdedit & Ioannis ducum bona defendant.

*Sacerdotibus & senatu populoque Rauennati fidelibus nostris.*

**R**AVENTATIS antistitis, vestri videlicet patris obitum audientes, valde dolemus; pro quo vt oretis hortamur: solitam vero, tantamque fidelitatem vestram erga nos vnitate vigere cernentes, imo gaudemus, & vt omnipotens intercessione apostolorum principum vos patre desiderato recuperet, vestro pro velle decertabimus. Ceterum monentes hortamur, & expresse iubemus, vt iam quem vnanimiter, quomodo scripsistis, elegistis, vnanimiter eum electum teneatis, diligatis, & vestro de more honoretis: & vsquequo, Deo annuente, praesentia pontificii nostri desiderio vestro illuxerit, Rauennatem ecclesiam ab omnibus hostibus defendite, deprædationibus pro posse leuate, ne ipsa ecclesia aliquam deprædationem sustineat: quoniam nos hoc inultum nunquam dimitemus, & prædatores prædatorumque receptores legali vigore modis omnibus feriemus. Porro præcipimus, vt res mobiles & immobiles, seque mouentes, Deusdedit, & Ioannis gloriosorum ducum nostrorum consiliariorum saluare, & in illas, quas hactenus inuasas habuerunt, nullam inuasionem facientes, illorum hominibus defendite: iam quia nostro